

libros vocant כְּתוּבֵי הַנְּבִיאִים ad distinguendum eos ab hagiographis, & ad ostendendum, Auctores illorum fuisse Prophetas: illi enim, qui hagiographa scripserunt, non fuerunt Prophetae, sed duntaxat per Spiritum S. locuti sunt. Et paulo post pergit: Libros per Spiritum S. loquentium vocarunt כְּתוּבֵי הַנְּבִיאִים, — ut gradus illorum significetur, & quoniam influxu sint conscripti, q. d., non illum gradum in eo consistere, ut videant formas propheticas, neq; ut audiant verba Dei vivi, sed, cum sint in illo gradu, qui קַדְשׁ הַרוּחַ appellatur & ut Doctor perplexorum loquitur c. 45. part. 2., aliquid divinum est, quod virum comitatur, disponit & excitat, ut loquatur aut scribat hymnos, laudationes, aut verba sapientiae, modo admirando. Imò cœcus iste Abarbenel, licet cum Maimonide suo non consentiat in eo, quod Daniel, quem inter hagiographa Judæi referunt, improprie tantum Prophetam vocari queat, & palpum nobis obtrudere contendat, ac si veteres Hebræi Danieli dignitatem propheticam non deinant, neq; illum contemptus causa eo in loco, ubi reperitur, collocent (vid. l. c. §. 10. usq; 17.) malitiam tamen suam prodit, dum Danielem statuit inter hagiographa referri secundum modum descriptionis, quoniam Prophetæ Dei mandato & instinctu scripserunt, non autem Daniel. Verba ejus sunt sequentia: Ecce Daniel se ipsum excitavit, ut scriberet per Spiritum S. — atq; id. irco Liber hic est ex numero Hagiographorum, non Prophetarum, qui scripti sunt & facti mandato Dei secundum Prophetie cognitionem, — & Daniel locutus est per Spiritum S. in componendo & scribendo hoc Libro. Attende vero, quisquis es, qualem comœdiam vel si mavis, tragœdiam circa Danielem conficiant Judæi, ad salvandas præconceptas opiniones suas. Forsan, inquit ex mente Maimonidis Abarbenel, (vid. l. c. §. 25.) ab initio loquebatur Daniel per Spiritum S., & demùm provecta ætate Prophetie particeps, vidit visiones Divinas, postmodum verò ab eo iterum est ablata, & ille, priori gradui relictus, per Spiritum S. est locutus, & per eum librum suum scripsit.

Atque hæc de Judeorum sententia, adductis ipsorum verbis, proferre ad informationem eorum, qui in his rebus minus versati sunt, volui, recordatus, quantum olim miratus sim,

CUM